

Bibliothèque numérique

medic@

Vrignaud, Honoré - candidat /
Bottman, Antoine - président. - An ex
Anatomiâ possit demonstrari usus
Vasorum lymphaticorum &
Glandularum conglobatarum ?

1789.

**Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°165**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0165](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0165)

465

MONSPELIENSI FACULTATI LUDOVICÆ.

Prima debemus Patriæ, ait Seneca. Atqui vera ac genuina Medici Patria est ea Schola in quâ à doctissimis ac perpetuâ colendis gratitudine Professoribus Scientiam excepit Iatricam, fuitque Medicinæ formatus. Itaque

Quæ benefecisti mihi servo recondita mente,
Accipe quas fundo pleno de pectore grates.

13 Janv. 1789

M. ANTONIO BOTTMAN, Doctore Medico, Parisiensi

Glandularum

Humillimus & obsequentissimus servus ac exul
discipulus Honoratus VRIGNAUD,
Bacc. Med. Parisiensis.

C. 34



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUÇÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè disputanda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-tertiâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.*

M^o. ANTONIO BOTTMAN, Doctore Medico, Præsido,

*An ex Anatomiâ possit demonstrari usus Vasorum lymphaticorum & Glandularum
conglobatarum ?*

I.

GLANDULARUM conglobatarum, per totum corpus diffusarum, ac in
unicum systema vasis coadunatarum lymphaticis, maximum subesse momentum in

A 2

C 34 Suite

4
œconomiâ animalî, nullus sanè dubitabit, qui consideraverit quam generaliter animantia istis gaudeant organis. De illorum autem usu ex inventione ad hanc usque ætatem vix solliciti fuerunt Medici.

Pro corculis promovendo lymphæ circuitui dicatis glandulas habuit Malpighius conglobatas, quæ potius istius motui moras necesse viderentur ex divisionibus iteratis quas subeunt has permeantia vasa lymphatica. In illis glandulis spiritum allabenti lymphæ misceri attenuantem & vivificum dixerunt gratulò alii. Propius verum accesserunt qui dixerunt lympham humoris miscelâ glandulosi dilui ac fieri fluxiliorem. Sed quâ ratione tacuerunt ignari?

Vasis lymphaticis ab intestinorum caveis, ex textûs cellulis, à cutaneâ corporis peripheriâ, fluida resorberi ac versus cor revehi viderunt apprimè Hallerius, Monrous, Hunterus, Cruishant, &c. sed glandularum utilitati conglobatarum vix aliquantulum attendere.

In eo aberrasse huc usque mihi videntur Auctores quod de glandulis conglobatis aut vasis lymphaticis seorsum spectatis spectatis unice solliciti, non animadverterint vascula lymphatica, glandulasque conglobatas in unicum systema organicum per totum corpus diffusum coadunari.

Aliam insecutus ratiocinandi methodum, ut totius systematis lymphatico-glandulosi genuinum agnoscerem usum, meam hâc de re sententiam Opusculo proposui Physiologico (1); in quo glandularum conglobatarum vasorumque lymphaticorum usus tam invicè, ni fallor, ac evidenter demonstratur quam sanguinis circuitus. Cum verò difficilior juniori Medico præbeatur assensus, imò & quandòque vix aliqua concedatur attentio; meum systema vernali idiomate propositum à plerisque forsan ignoratur Medicinæ Professoribus celebrium solas docere virorum doctrinas superbis, dedignantibusque ignotorum ideas juniorum, nondum ab obscuritate emerforum erectorumque ab extremis humillimisque horisontis Medici limitibus.

Nunc verò cùm judicium maturaverit plurium annorum studium ac quietioris

(1) Nouvelles Recherches sur l'Economie animale. p. 220 & suiv. A Paris, chez Didot, Gailleau, Méquignon & Croullebois.

ætatis virilis meditationes juvenilis conceptibus imaginationis arriserint; occasionem nactus novam rursus evulgandæ meæ opinionis idiomate toti genti Medicæ per Enropam sparsæ communi, meas publicæ disputationi lubens subjicio ideas, eâ sanè spe non delusus, ut quas probavit venerandæ semper mihi memoriæ Præceptor celeberrimus D. Delamure, Professorum Medicinæ Monspelienſium olim Decanus, eæ displicendæ non sint sapientissimis hujusce Lycæi Magistris. Sic enim ex opinionum amœno conflictu in doctissimâ Scholâ nova lux affulget in quæſtionem inter Physiologicos maximè spectandam. Perbreviter itaque ex more Scholarum, meas exponam rationes.

I. I.

PER totum corpus à capite ad genua, à cubito dextro ad sinistram, juxta vasorum directionem sanguineorum sparsas glandulas jamdudum agnoverunt Anatomici conglobatas; suspicantes has etiam inesse in ultimis corporum extremitatibus ac intrà cerebrum, ubi nondum satis dilucidè fuerunt recognitæ. In unicum systema organicum videntur vasculis coadunari lymphaticis, quæ ex membris remotissimis, ex extremâ cutis peripheriâ, ex viscerum caveis, ex totius corporis cellulari compage nata, per hæc directâ glandulas, intrà cellulosa istarum substantiam varias sæpiùs subeunt divisiones atque subdivisiones, & dein in pauciores amplioresque coalescunt truncos egressura; in majores ac majores colliguntur sensim ab extremis ad cor exporrecta, vasculis parallela sanguineis, usque quò tandem in unicum canalem thoracicum, cisternæ chylotæ progeniem venæque subclaviæ humoris præterlabentis tributum avehentem confluerint. Hic & illic ubique numerosis inter se connexa retibus vasculosis.

Lacteo succo intrà suas cellulas acervato ex irrigantibus sane secreto arteriolis numerosissimis glandulæ turgescent conglobatæ maximè in puello nondum in lucem edito, & eò magis quò ab ortu propior, eò minùs contrà quò magis ad orcum properat heu! maturior homo, ità ut præ tenuitate dispareant in extremâ confecto senectute.

Eductus sic à præcipuâ humorum fabricâ (vasculis scilicet sanguineis) intrà glandulas parùm vegetas, naturam suam acidam ac cruditatem servat diutissimè humor iste chilosus, tenuis, aquosus, istius puerperarum Coloſtri haud absi-

salis, allabenti per lymphatica vasa lymphæ renovandæ per quam apertissimus acervatusque pro penuriæ temporibus.

I I I.

EFFORMATA scilicet ac perfecta intrâ systematis sanguiferi officinam lymphæ, in intimum partium exsudat textum, fibrillas inuncturâ refectionis ac consumptione vitali singulas, sicque subducitur nimie animalisationis, imò & corruptionis imminenti periculo ex diutiori morâ intrâ sanguinem vividissimum coctionis animalis fornacem. Ipsomet tamen vitæ progressu sensim alteratur lymphæ partium refectioni superflua, per illarum textus agitata, alcaliscentiæ pronissima, ac degenerationi calcareæ per dissipationem fluidi, oleosique consumptionem principii. Degenerationi istius alcalino-putridæ moras nectit provida natura per admixti inrertritique adipis cellulosi rancorem loci calore exallatum, sicque indolem reficit conservat lymphæ oleosam. Bibulis intrâ textum cellularem vasorum lymphaticorum osculis educit, intrâ glandulas conglobatas succo lacteo vero chilo renovandam; illiusque permixtione reducendam ad constitutionem minus animale eò securius quod in eosdem præcipuos lymphaticorum truncos ac cætera lymphatica confluunt chilifera, altera lymphaticorum series chilum post pastum ac per absentiam chili lympham ad cor revehentiam.

I V.

PRÆTEREA ex omnibus corporis partibus in commune receptaculum peccquetianum aut canalem thoracicum confluentes succi lymphatici, vicissim inter se permixti, peculiarem exuunt omnes constitutionem quâ speciali illius illiusve partis (ossium, v. g. capillorum, musculorum, &c.) Specificâ assimilationis coctione nutritioni fuerant adaptati, communem induunt lymphaticam qualem ferè habebant, dum è sanguine fuerunt elicti; adeoque isti redeunt gratiores, quam si tot tamque diversi ac heterogenei inundavissent. Tunc enim illius discrasiam nimium alterantes, humoris instar secretorii ablegati fuissent ac infelicitèr perediti.

Redeuntès è contrâ, postquam generali miscelâ ad communem reduci fuerunt naturam, postquam adiposi rancoris unione indolem oleosam partim re-supereverunt, postquam lacteo glandularum conglobatarum succo, affluentique

ex intestinis chilo fuerunt renovati, istâ mixtione quodam modo recrudescentes, minus animales, jam possunt in vasis sanguiferis novam impunè sine ullo destructionis periculo pati coctionem, quâ agent imò ut rursus ad statum à quo recrudescentiâ suâ dicefferunt, reducantur lymphaticum, fiantque iterum variis corporis partibus alibiles.

V.

SIC alterno isto ex vasis sanguiferis intrâ textum cellularem & ex textu per vasa lymphatica glandulasque conglobatas ad cor circuitu perennant diutius alendæ vitæ habiles succi nutritii, intrâ vasa sanguinea cocti, in textum partium diffusi ad nutritionem, reforpti vasculis lymphaticis ac recrudescentes, dum istis per glandulas evehuntur conglobatas, succis nondum animalisatis intertriti per longissimos vasorum lymphaticorum meandros. Antagonismum ergò quemdam ergà sanguiferum systema humorum animalisationi indefinenter allaborans exercet organicum vasorum lymphaticorum & glandularum conglobatarum syrma, humorum invigilans recrudescentiæ, & nimiae animalisationi eò felicius contranitens quò vegetius æquipollet.

V I.

RENOVANDIS impensum succis lymphaticis ad cor per lymphatica reducibus lacteum humorem glandularum conglobatarum novo post pastum affluo suppleri probatur experimento quod ex inciso canis lactantis ad hucdum, sed diutino jejunio exsuccis, thymo (glandulâ de genere conglobatarum,) nihil effluat primum. Sed si postea lacteum præbeatur animali pabulum, brevi à pastus tempore vulnere thymi lac exstillat.

V I I.

MEÆ Thesi nova suppeditat argumenta parallelismus quem affectant ubique vasa lymphatica cum sanguiferis. Etenim cautela quâ sagax ac provida natura lympham è remotis per peculiaria hæcce vascula lymphatica reducit in subclaviâ lævam, vitatque vicinioribus committere venis, subindicat sanè rationem inesse vitandæ istius miscelæ in cæteris ramis venosis. Nonne cura quâ illi lymphæ ad sanguinem per longissimos lymphaticorum vasorum tramites redeunti crudos remiscet succos, demonstrat scopum isti conciliandæ cu-

iusdem recrudescentiæ, priusquam novæ per sanguiferum systema cœctioni subiciatur?

Nostræ opinioni novas probationes superadderent agnita huc usque in æconomia animali glandularum per vitæ decursum phenomena. Quare vegetius v. g. primis ætatis temporibus cum ætate decreseat ac penè obliteratur glandularum conglobatarum systema? Quare cum pubertate in puellis amabiliter mammae fororiantur? quare dein intumescunt per graviditatem, ac post partum? quare tunc à repressâ excretionem aut impedito per lochia alias secretionem effluxu lac versùs glandulas regurgitat conglobatas, nativa succi lactei cola, acerbissimaque causat puerperis apostemata? Sed singulorum istorum explicatio phenomenorum Thesim ultrà limites scholæ academicos augeret. Solutionis itaque cupidos ad meum remitto opusculum, & propero ad finem concludens.

Ergo ex Anatomia potest demonstrari usus glandularum conglobatarum & vasorum lymphaticorum.

Vive, vale. Si quid novissi rectius illis,
Candidus imperti. Si non, his utere mecum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joan. Nicol. CORYSART-
DESMARETS, Physiol. & Pa-
thol. ann. 1786-88 Professor,
Anatomis & Chir. cunctis ab
Illust. M. A. Petit fund. et
Professor alter, utriusque Phar-
maciæ Professor designatus in
ann. 1789-90.

M. Jacobus DE WENZEL.

M. Petrus LASEYROLLE, Chir.
lat. id. Professor.

M. Paulus-Augustinus-Olivarius
MAHON DE HOUSSAY,
Chirurgiæ gallico idiom. Pro-
fessor.

M. Henricus-Hercules CHAM-
PAGNE DU FRESNAY.

M. Stephanus CROCHET, Chir.
gal. idiom. an. 1785-86 Pro-
fessor.

M. Jacob. Ludov. ALLEAUME,
Artis Obstetriciæ ann. 1755-
57, Chirurg. lat. idiom. annis
1761-62, Rei Herbariæ 1772-
73 Professor, Salub. Facult.
Decanus an. 1774-76.

M. Claudius Francisc. GRAND-
CLAS, Artis Obstetriciæ annis
1757-59, Chirurgiæ lat. idio-
mate ann. 1766-67 Professor.
M. Ludov. Alex. GERVAISE,
Chir. gal. id. an. 1756-57, Chir.
lat. id. an. 1759-60 Professor,
Bibliothecarius an. 1766-68.

Proponebat Parisiis, HONORATUS VRIGNAULD, Nannerensis
apud Armoricos, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor.

A. R. S. H. 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.